

Πn
9134



Q. 528, 13.

B. m. T.

II n
9134

Ut
**MEMORIAM
KEIMANNIANAM**

in
GYMNASIO ZITTAVIENSI

publica & solemniori oratione

An. cl^o J^oc XXXI, d. XIV, Aug. h. VIII.

celebrandam,

**PATRONI,
FAUTORES & AMICI,**

Rei scholasticæ

præsentes reddant splendidiorem

humanissime rogat,

& de

Scioppii in Joseph. Iustum Scaligerum

Satiris

differit,

Godofredus Polycarpus Müller

Gymn. Direct.

ZITTAVIÆ, Stanno Michaelis Hartmanni.

[1731]



* * *

CHRISTIANUM KEIMANNUM, Gymnafii Zittauienſis Rectorem celeberrimum, quem publica prudentum uox, publicumque mortuo conſtitutum monumentum, præclari oratoris & poetæ titulo cohorteſtauit, ſolemni quodam pietatis officio uiuum quali meritis ſuis & ſpirantem ſiſtere conſtituimus; ut memoria ejus poſteritati, cujus de benemeritis ſerenius judicium eſt, commendetur. Erat in illo erectus inter uarias calamitates animus: ac eloquentiæ ſolutæ adſtrictaq; numeris ingenua & liberalis ſuauiſſa, nec fucò nec bile tincta. Cumque contrariorum inter ſe contentio eorundem naturam reddat illuſtiorẽ; oratorem & poetam ſeculi ſexti & decimi ſtordaciſſimum, eloquentiæ flagitium & maledicentiæ Herculem, *Gasparum Scioppium*, in ſcenam producere placuit. Nec omnia ejus conuiſia, quæ telorum inſtar acutiſſimorum in ſua ætatis doctiſſimos uiros eorum cominuitie coniecit, quorum plauſtra conferri poſſent, colligere hic animus eſt: Sed eam modo cauſam diſſerere, qua *Iosepho Iuſto Scaligero*, criticorum principi, & ſtatu & genere ſuo quæſtionem inuitis omnibus bonis mouit. Res ita ſe habuit. Deducebat genus ſuum *Iosephus Iuſtus Scaliger*, à Belgii federati ordinibus poſt uarias fortunæ iactationes Lugdunum Batau. profeſſoris honorarii munere uelut in portum traductus, à *Veronenſibus principibus*, cum ſuis fatiſ tum Venetorum potentia dejectis, ſeque hujus illuſtriſſimæ ſtirpis ultimam proſtebatur. Patrem agnoſcebat *Iulium Caſarem Scaligerum*, auctum *Benedictum*: quem, Ripæ altæ dominum, ad lacum Benacum (lago di Garda) Ripenſi dominatu Veneti exuerant. Hunc *Benedictum* referebat ad *Brunorum Scaligerum*, ex *Antonio*, Veronenſium ultimo principe, progenitum: qui ex illis erat, quos *Canes* dicunt, eorumque tres numerant *Franciſcum*, *Magnum*, & *Signoriſum*, quorum geſtis gentis hujus res uel maxime illuſtrate fuerunt. *Canes* uero non ab illo latranti animali dicti ſunt, (v. Jul. Cæſ. Scaligeri Vita, à *Iosepho Iuſto* ſcripta, p. m. 371.) ſed quod lingua *Windorum*, unde principes *Veronenſes* oriundos uult *Iouius*, *Caban* idem eſt, quod lingua *Seruiana* *Cral*, id eſt rex aut princeps: & ipſa *Scaligerorum* gens, per *Italiam*, *Slaroniam*, *Hungariam*, *Bauariam*, uariis fatiſ agitata & diſjecta, uariis uenit nominibus, ut ad hiſtoricis nullò delectu *Scaligeri*, *Scaliſari*, *Scala*, *Domini de la Scala*, *Scaldei*, *Scalini*, *Scaliſki*, *Scalibi*, dicantur. Sparſis uero jam de inſtitutiis quibusdam *Scaligeris*, quibus *Iosephum* & patrem ejus uel maxime notabant, iniquioribus rumoribus occurrere tentauit *Iosephus* noſter ſcripta An. cl. Io xelV. *Iulii Caſaris Scaligeri Vita ad Ianum Douſam*, Supremi Hollandiæ Conſiſtòrii Senatorem. Hiſ omnibus aduerſum iuit *Gaspar Scioppius*, Itolorum quòrundam, genti *Scaligeræ* aduerſorum, & cleri pontificii per *Scaligerum* irritati, mancipium, magnaque aulæ nec minori labore contendit, *Iosephum Iuſtum*, patrem ejus *Iulium Caſarem*, & auctum *Benedictum*, *Pſeudoſcaligeræ* eſſe, qui gentem hanc

imma-

immani audacia & calumnia essent eminenti. *Benedictum* enim suum non illum fuisse, Ripensem dominum, sed alium ex face vulgi ferram & scrutarium, *Benedictum Bordonium* vel *Burdonum*, ciuem Veronensem. *Ludimagistrum* fuisse, qui propter egestatem, quod schola in urbe Brenni (Verona) frigerent, coactus fuerit Venetias migrare, & ibi scrutarium facere, postea dictum *Maester Benedetto della Scala*, à scalis scilicet *Santis Marci*, ubi habitabat, sicut à *scala* (est enim Scaligorum insigne *Scala* cum aquila aut canibus) quam pro insigni, ut mos est propolarum aut opificum, in fronte tabernae pinxerat. Infimæ itaque sortis homines exin exiisse, & Iulium Casarem Scaligerum primum monacham Franciscanum exituisse, & dein inter bella fabulam de ortu suo ex Scaligeris confinxisse. *Burdones* itaque esse hos homines, generis humani infelix solum, ex gente Scaligera eruendos, ut orbis uniuersi desisti exponantur. Speciem huic Scioppianz fabulæ & colorem conciliauit, quod *Iulio Casare Scaligero*, ut *Lilius Gregorius Cyrildus* scripsit, *Burdoni* cognomen fuerit: quod tamen satis interpretatur defensor Scaligeri in *confutatione Fabula Burdonum*. (p. m. 229. sqq.) Ita autem ille, *Iul. Caf. Scaliger* (puer scilicet vel iuuenis) in *Carnia, Croatia, & Italia uocatus fuit IULIO DABURDEN*. Est autem *BURDEN* tractus saxosus & infelicissimi soli in *Carnorum* finibus. Id lingua *Carnorum & Croatarum* terram infrugiferam, ut re uera est, significare non semel *Iosephus à parte* audiuit, ejusque dominam fuisse *Bonifacium Scaligerum*, qui ut *Iulium fratris filium à Michaele filio suo* distingueret, cuius alius *dynastia* titulum dederat, hoc nomine eum uocabat, &c. &c. *Italici* quoque il *TOSO DABURDEN* uocatus fuit: quia sic pueri in *Loxobardia* uocantur *ύπονοχισμάς*. Atque hæc fabula, confluenda partim, partim distanda, siusmodi libros peperit, in quibus quicquid *Græcia Latiumque* habet, quod in maledicentiam inflecti potest, & quicquid *sophistica nouit oratoria*, quæ toxica miscet & pharmaca, uno quasi profluitio effunditur: ita ut similes harum, certe maledicentiores, satiras inter profanas gentes lectas nunquam fuisse mihi quidem uideatur. Primum exiuit in publicam *Amphithearum*, à Clero Pontificio aduersus *J. J. Scaligerum* extructum: cuius quidem frequens mentio fit in *Confutatione Fabule Burdonum*, (v. p. 153.) sed mihi quidem uidere nunquam contigit. Dein ex animo irulento *Scioppii*, tanquam ex utero *EPIRHYOS*, aduerso cæco & sideribus erupit *Cass. Scioppis Scaliger Hypobolymaus*, hoc est: *Elenchus epistole Iosephi Burdonis Pseudoscaligeri de ueritate & splendore gentis Scaligeræ*. Quo præter crimen falsi & corruptarum literarum *Regiarum*, quod *Thra-soni isti* impingitur, instar quingenta ejusdem mendacia deteguntur. *Magnificæ MDCVII. 4.* Vitam *Iul. Caf. Scaligeri*, quam totam inseruit & in fine integram subiicit, per partes sub examen reuocat: & licet maledictorum & calumniarum deterrimarum cento sit, affectata sollicitudine confarctus & confarcinatus; multa tamen habet, quibus historia *Insulæ & Banazie* illustra-

que.

94
tur. Secuta sunt haec Scioppianum abortum gravissima graviumorum ut-
rorum censura, & eo majores Scaligeri laudes: quarum illae vel maxime di-
gnae lectu sunt, quae *Dan. Heinsius* duobus panegyricis, illustri viro Iosepho
Scaligero dictis; (*ex Off. Plant. MDCVIII.*) & *Dom. Baudius* in oratione Fu-
nebri, Scaligeri memoriae dicta, exhibet. (*Lugd. Bat. MDCIX.*) Addantur
dicta *Baudii Ep. XXXII. Cent. II. u. Ep. XIX.* & demum *Epist. ultima Cent. III.*
Cum ad tam atroces & impudentissimas injurias sileret Scaliger: prodibat ex
Scioppiana officina An. MDCVIII, uouum monstrum: *Tres capella, sive Ad-*
monitio ad Iosephum Iustum Burdonem, Iul. Caesaris Burdonis F. Benedicti Bur-
donis N. 4. Paucae tantum pagellae sunt, quas *Vinc. Placcius de Anonymis Scri-*
pioribus detectis C. IX (in Theatro Anon. & Pseudon. p. 38.) Ingolstadtii impres-
sas scripsit: sed addit, quod ei liber hic uisus nondum sit. Equidem impres-
sionis locus adiectus nullus est, est enim ad manus: & si typorum ratio ha-
benda, prodit ex ea officina Moguntina, ex qua Scaliger Hypobolimeus exi-
iit. Dubitat quoque *Placcius*, an Scioppio adscribendus: sed tanta est cum
Scioppiano scribendi genere, affectato & ex ueterum locis congesto, simili-
tudo, ut ouum ouo non possit esse simile. *Tres capellas dixit ex Martia-*
lis Epigr. XIX. L. VI. quo in *Posthumum*, ineptum cauidicum, iuste, cum de
tribus capellis, causa esset, de bellis & heroibus magna uoce sonantem: quem
quidem poeta ad rem & officium renocat, uerbis: *jam dic, Posthume, de tri-*
bus capellis! Scurrilli itaque & maledica ratione, ficto cum Scaligero familia-
ri sermone, eundem a scopo controuersiae abluentem, ut de *Benedicto Bor-*
donio, & de *tribus Canibus*, quos genti suae contra jus fasque uindicauerit, in
suo ad Scioppium responso, quod metuebat, causam diceret inepte admonuit.
Demum *An. clo. loc. IX prodibat Confutatio stultissime Burdonum fabulae, aucto-*
re I. R. Barano, Iuris studioso: probe scripta, licet non sine sale & acrimonia.
Janam Ruigerium, amicam *Heinsii* & *Scaligeri*, autorem hujus scripti perui-
cit *Placcius*, (c. l. p. 37. 38.) Eodem anno lucem aspexit *Hercules tuam fidem,*
sive Munsterus (Hypobolimeus, id est Satyra Menippea de uita, origine & mori-
bus, Gasp. Scioppii Franci 12. Misere haec Scioppium derisum & depexum de-
dit: & hic est atra succus loliginis. Autorem *Daniel. Heinsium* fuisse idem
Placcius (c. l. p. 41.) testatur & confirmat. Quae mihi praesto est editio *Lug-*
dunensis adjunctam iisdem typis habet confutationem fabulae *Burdonum*; cu-
jus quidem *Placcius* mentionem nullam fecit. Tantum potuit maledicentia!
Tantum animi passionibus mancipata eloquentia. De eloquentia itaque ab-
sione orationem oratori nostro pio, honesto, sapienti destinauimus: ut mode-
stia ejus & optima uita ratio illustrior appareat. Vos *Parronos, Fautores, Ami-*
cos honestatis & eloquentiae, excellentissimos, amplissimos, praclarissimos, summa
humanitate & pietate rogatos uolumus; ut piis manibus Keimannianis id tri-
bueret uelitis, ac memoriam ejus praesentes praclaro uestro tueri festi-
monio. P. P. Dom. XII. post Trin. An. clo. loc. XXXI.

ULB Halle

3


007 009 208



~D18







B.I.G.

Farbkarte #13

RK. 528, 13.

B. m. 77


II n
9134

Ut
**MEMORIAM
KEIMANNIANAM**

in
GYMNASIO ZITTAVIENSI
publica & solemnī oratione
An. clō J-c XXXI. d. XIV. Aug. h. VIII.
celebrandam,

**PATRONI,
FAUTORES & AMICI**

Rei scholasticæ
præsentes reddant splendidiorem
humanissime rogat,



& de
*Scioppii in Joseph. Iustum Scaligerum
Satiris*

differit,
Godofredus Polycarpus Müller
Gymn. Direct.

ZITTAVIÆ, Stanno Michaelis Hartmanni.

[1721]

